AD CARDINALITIAM QVAETIO MEDICA.

MATVTINIS EXCVTIENDA DISPVTATIONIBVS IN SCOLIS MEDICORVM DIE IOVIS I. APRILIS, DISCEPTATORE D. GEORGIO CORNVTIO.

An a cauſa morbifica læſa actio.

SANITATIS eſſentia vt virtutis, in competentium mediocritate oriunde Euryanactis filiæ negata poſita eſt, non ſic vt in vnoquôque hominum ab extremis æqualiter reuulſis conſtituta, actionum de quibus aliæ ſimilares, aliæ diſſimilares eandem ἀπηρτισμένως integritatem ſortiatur. Sed in aliquibus exquiſitam magis, in aliis minus. Diætaque his ſeruandis nulla omninò certa eſt & definita: ſed quædam alicui, & quâdamtenus ſalubris: quæ nec exacte cognoſcitur: quin aut aliquid excedat, aut deficiat à naturali. Eôque exceſſu, vel defectu ſenſim non naturalis efficitur.

GENVS id quidem triplex cauſa, morbus, & ſymptoma: ea ſerie ſe ſe conſequentia vt à morbo ſymptoma, & morbus a ſua cauſa non ſecus quam vmbra à corpore pendeat. Omnis autem cauſa vel προκαθάρτικη ab extrinſeco inuadens, vel interna interius nata: ac in pletoram, & cacochimiam externarum cauſarum ſobolem diſſerpta. Morborum omne genus ſimilare, organicum, & commune triada profert ſymptomatum, quorum is ordo eſt, vt immutatum ſimplici qualitate, ametriæ in excretis ſuperueniat, & læſæ actioni hæc. Quæ pro cauſa morbifica ſe ſe gerens: in ſecundariis plerũque affectibus actionẽ labefactat.

AFFECTVVM quippe non naturalium: alij πρωτοπαθήκως primitùs inuadunt; alij δευτεροπαθήκως iiſdem ſuccedanei ſunt. Hóſque illi ſuſcitant, in partibus conſenſientibus per viciniam, ſubſtantiæ ſimilitudinem, vaſorum communionem, vel operis ſocietatem. Conſenſúſque omnis πάθημα eò grauius, quo pars exquiſitioris ſenſus, grauiori morbo tentata, neruorum genus, vel arteriarum, aut cor, aut cerebrum debilius fuerit. Occaſio vero ſe communicantis noxæ gemina poſitiua, vel negatiua omninò eſt. Illius, materiæ, vel nudæ qualitatis, vel occultæ malignitatis contagioſa μεθάδοσις. Huius naturalis formæ vel materiæ affluere debentis penuria.

HINC ἀφονία quæ temulentos in quatuor diebus, niſi febris ſola præſidium allatura ſuperuenerit, iugulat. Obſtructio enim ad principium neruorum, ſine intemperie, aut in cerebro ipſo ἀποπλέξιαν, παράλυσιν, σπάσμον & id genus ſymptomatum, alioquin immedicabilium parit, animalium ſpirituum diſtributionem impediens. Iſtinc ſyncope ſpirituum ſola impuritate nulla intemperie, aut diſſimularium exiſtente læſione. Iſtinc ſuffuſio cui ὀξυδέρκικα ſufficienter medentur, nulla fluxione, inflammatione, aut alio malo vrgente. Illinc exorciſmi, & vincula quibus vſus venerei impediuntur.

INDE per dyſenteriam abſque remedio σπλὴν ſanatur cui tamen adeſſe dyſenteriam pernicies. Inde hydropem aquæ ſanat in ventrem læthalis effuſio. Inde prægnantibus mulierculis nõ modò ἐξ ὄντος κύαματος: ſed etiam ex mendaci, per informem à morboſo ſemine molam, ore vteri conniuente lunaris colluuies alienam ſortita qualitatem, κύτλαι producit. Iſtud tamen πάθημα vt cauſa vel vomitu excluſa, vel alia ſimili ratione, aut à fœtu iam grandeſcente in alimentum tracta: nullum in parte, quod curationis egeat veſtigium relinquit. Vt nec quibus aures ex febre obſurduerunt, ſanguine per nares effuſo, aut per aluum turbatam reddita materia relinquitur.

Ergo a cauſa morbifica læſa actio.

PROPONEBAT IOANNES PERRINVS LOTARENVS TVLLENSIS. ANNO DOMINI. 1599.